



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1778**

**VD18 90118871**

§. 1. Lipsiensis Protestantium Conventus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

Sæc. XVII.  
A. C. 1631.

# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ,  
*LIBER CXCVIII.*

URBAN. VIII. PONTIF. MAXIMUS  
FERDIN. II. OCCID. IMP.



§. I.

*Lipſienſis Proteſtantium Conventus.*

*Rhevenh.  
Annal. Fer-  
dinand. II.  
t. II. p. 1518.  
Lotich. rer.  
Germ. l. 34.  
cap. 2.*

**P**rospere hucusque Gustavi Adolphi Sueciæ Regis irruptio haud parum Protestantium animos accendebat, ut Lipsiensem Conventum ad diem octavam Februarii indictum magno numero frequentarent. Conveniant præter Saxonem & Brandenburgum Electores Marchio Byruthinus, Hassiæ Landgravius, quinque Saxonie Duces, Onolzbacensis & Badensis Marchiones, Sultzbacensis, & Anhaltinus Principes. Insuper Circuli Suevici, & Franconici Principes, Ordines, ac decem civitates per suos Legatos interfuere. Huic conventui die

decima ejusdem Mensis datum est ini- Sæc. XVII.  
tium, atque in Ecclesia D. Thomæ Ma- A.C. 1631.

thias Hoe Lutheranus Præco sermo-  
nem habuit ex hisce Psalmi 83. ver-  
bis (\*): *O Deus, ne agas silentium, ne  
furdum agas, neque quiescas, o Deus for-  
tis, nam ecce! inimici tui persstrepunt, &  
Osore tui extollunt caput.* Infalsa hu-  
jus Prædicantis declamatio tam Catho-  
licis, quam Protestantibus non paucis  
stomachum moverat; hi enim seditio-  
sum ejusmodi sermonem ad jactata pa-  
cis consilia minime aptatum carpebant,  
isti vero editis scriptis hunc vitiligato-  
rem, qui Divino Verbo abusus, ad-  
cruentas factiones classicum canere au-  
sus esset, abominabantur. Finito au-  
tem hoc sermone Saxoniz Elector de-  
fensionis suscipiendæ necessitatem ob-  
tendens, cunctos Protestantes hortaba-  
tur, ut copias & pecunias largiter hanc  
in rem conferrent. Toto capite an-  
nuere omnes, quamvis paulo ante,  
ut Cæsarem ad remittendas exaucto-  
randasque copias suas inducerent, ex-  
hausta

(\*) Hic Psalmus in Vulgata est octogesi-  
mus secundus, cujus versus primus ita sonat,  
*ne taceas, neque compefcaris Deus, quoniam  
ecce inimici tui somuerunt, & qui oderunt te,  
extulerunt caput.*

Hist. Eccles. Tom. LIX.

Bb

Sæc. XVII. hausta æraria, devastatasque Regiones suas obtendissent: Postea perceptis cunctorum querelis, propositisque remediis diu discussis die decima octava Martii Saxonizæ Elector ceterorum nomine Cæsari perscripsit, quod Protestantes Imperii Principes pro reparanda Nationis Germanicæ libertate, & tuerendis imperii legibus Lipsiæ congregati decreverint, penitus abolendum esse *restitutorium* edictum. necnon Palatinis fratribus, & viduæ, ac Megapolitanis Ducibus, aliisque Principibus Catholicis pristinam Religionem, libertatem, eisque ereptas ditaciones, ac honores esse restituendos, ac demum legiones, quæ recens a Cæsare conscribuntur, dimittendas (\*). His aliisque ita expositis Elector palam profitebatur, quod si hisce malis remedium non opponeretur, tam ipse quam ceteri omnes legitimam se suaque defendendi rationem inire statuissent. Ad hæc literas respondit Cæsar, quod ceterorum Principum Catholicorum, eoque potissimum

(\*) Scilicet, ut Protestantes suum exercitum, quem tum contra Cæsarem conscribere parabant, ex militibus Cæsareis exauctoratis eo magis augere valerent, Cæsar vero de Catholici necessariæ defensionis mediis delibetuerentur.

potissimum illorum interfit, mentem <sup>Sæc. XVII.</sup>  
 desuper explorare decreverit. Verum <sup>A. C. 1631.</sup>  
 Protestantes haud expectata Catholi-  
 corum sententia Cæsari, necnon qua-  
 tuor Catholicis Electoribus significa-  
 runt, quod omnem vim a quocunque  
 intentatam, militisque Cæsarei injurias  
 propulsare, sibi que invicem auxilium,  
 si quis eorum impeteretur, ferre sta-  
 tuissent, ni Cæsar quantocius edictum  
 aboleret, & oppressionibus finem po-  
 neret: Promulgato hoc decreto pas-  
 sim in omnibus Protestantium Provin-  
 ciis classica pulsabantur, ac undique  
 magno numero milites conscripti fue-  
 re, facta tamen declaratione, quod re-  
 verentiam Cæsari debitam omnino sal-  
 vam esse velint: Ita blande lingua lam-  
 bent, & dente cruento mordent. Sol-  
 licitabat quoque Protestantes Lipsiæ  
 congregatos Gustavus Adolphus Rex,  
 ut foederi contra Cæsarem inito accede-  
 rent, atque hostiles Suecorum impetus  
 annona & pecuniis foverent. Saxo  
 tamen apertam armorum societatem  
 cum Sueco inire adhuc tergiversaba-  
 tur, veritus, ne hic proprium potius  
 negotium ageret.